

AD
AUGUSTI BRANDENBURGICI
MÆCENATEM MUSIS FAVENTISSIMUM,
VIRUM ILLUSTRUM ET EXCELLENTISSIMUM
DN. EBERHARDUM CHRIS-
TOPHORUM BALTHASAREM
DANCKELMANNUM,
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS
BRANDENBURGICI CONSILIARIUM STATUS
ET INTIMUM,
DOMINUM ET PATRONUM SUUM
VENERANDUM,
ELEGIDION ISTHOC
EXTEMPORANEUM

PAULO ANTE
FRIDERICI VVILHELMI
MAGNI
SOLENNISSIMAS EXEQUIAS
MITTEBAT
L. JOACHIMUS FELLERUS, P.P.
ACADEMIÆ LIPSIENSIS JAM TERTIUM
RECTOR.

Hist. Germ.
Biogr.
432,4



Laudite, Pierides! Rediit post ferrea tandem
Secula vester bonos aureolique dies,
Principibus nec vestra Viris hoc tempore sor-
dent
Carmina, quæ Clario ex gurgite sponte
fluunt.

AUGUSTI redeunt, placidissima Numina Vatum,
Estque etiam Maro qui Virbius esse velit;
Nec MÆCENATES desunt, qui voce Poetas
Commendant Dominis baud recidente suis.
Spiritu ego Aonio LEOPOLDIDA scribere plenus
Decrêram, AUGUSTI ob magna tropæa PATRIS,
Qui precibus simul atque armis Bessum agmina vincit,
Thracasque Hungaricis cedere cogit agris,
Ascanioque adeo parat aurea secla JOSEPHO,
Cui jam Pannonica sunt data sceptrâ plagæ.
Decrêram; ast facilem baud ausus sperare Monarcham,
Expendens Musæ vilia metra mea.
Nam summum in terris Numen summa omnia poscet,
(Sic mecum) & renuet voce strepente cani.
Et vero grandem tot grandia facta Maronem
Poscunt, non nostræ tenuia plectra lyræ.
Cantandam ergo aliis LEOPOLDIDA linque Poetis,
Quos magis ad carmen spiritus altus agit;
Et quoniam in magnis satis est vel sola voluntas,
Et, Felle, tibi sat voluisse fiet.
Ast mihi Mæcenas felicibus obtigit astris
BECKERUS, Celsus CÆSARIS ille sui;

Cuique

*Cuique Augustorum commissa est cura librorum,
NESSELIUS, Nomicæ gloria luxque Deæ.
Cæsareum hæc etenim clarissima lumina Numen
Effecere favens propitiumque mihi,
CÆSAR &, ut cunctas circumfert pectore Musas
Vasto, ita nec nostros respuit ipse modos,
Quin placidus iussit Philyræ LEOPOLDIDA Vatem
Scribere, qui dudum laurea ferta gerit;
Nec cessabit epos seris transmittere seclis
Is iussum, tanti motus amore Dei,
Si Thrax Pannonicis fuerit depulsus ab oris,
Et Pax Cæsareas cinxerit alma comas,
Pax viridante olea insignis, quæ, Thrace represso,
Non nisi præclara ac magnifica esse potest.
Teutonici interea iussus describere ACHILLIS
Gesta, ex BRENNORUM stirpe potente sati,
Descripsi; at versu non tanto Principe digno,
Quique novo AUGUSTO vix placiturus erit,
FRIDRICO, Brennûm nunc Sceptra excelsa tenenti,
Spondenti & Clario prisca metalla choro.
Sed nec Marchiaca mihi deficit alter in Aula
Cilnius, Euterpes præsidiumque meæ,
DANCKELMANNIADES, Suada Os, Corclumque
Minervæ,
Et Comes OCTOVIRI, dulcis Amorque, novi.
Hic etenim Magni (BESSERO interprete, Amicus
Quo melior mihi vix ullus in orbe fuit,)*

Hic,

Hic, inquam, Magni facta augustissima BRENNI
Herois voluit me celebrare sonis,
Æternaturis maneant ut condita fastis,
Et sero exemplum tempore grande sient.
Præsto etiam mea Musa fuit; sed cantibus impar,
Quales deposcunt Brennica gesta sibi,
Sexcentisque aliis nunc stipatissima curis,
Purpura quotidie quas peperisse solet.
Paruit interea, quantumque angustia sivit
Temporis, Heroum condidit istud epos.
Hoc vero Herois cum non merita ardua adequet,
Qui fausto nulli Marte secundus erat,
Nulli etiam reliquis virtutibus Induperantum,
Qui stellas inter promeruere locum;
Tu, rogo, Mæcenas sis, DANCKELMANNE, Poeta,
Qui totus Clariis fontibus ipse scates,
Sique Tuo AUGUSTO fors non arriserit istud,
Quod DIVI PATRIS facta recenset, opus;
Excusa, utque humiles Phœbea luce Camenas
Collustret, Pitibus voce precare tua.
Jam tempus majora negat. Si Numina sirint,
Post cantata metro CÆSARIS acta mei,
OCTOVIR Augustus mihi erit, solenneque carmen
Ille Tuus, sed Tu Cilnius alter eris.

LIPSIÆ,
III. EID. SEPTEMBR. M DC LXXXIIX.

TTPIS GOEZIANIS.